ROSA VERALLA

Siue

DE LAVDIBVS ILL.^MI PRINCIPIS

FABRITII CARD.

VERALLI

Odæ Tres.

A MARTINO TONDO

ACAD. PARTH.

DEDICATÆ

Dum publicè de Philoſophia diſputaret

In

COLLEGIO ROM. SOCIETATIS IESV.



ROMAE, Typis Iacobi Maſcardi. MDCXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. M. Sacri Palatij Apoſt.

A. Epiſc. Carin. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Donatus Rom. Mag. & Reuerendiſs. P. F Hyacinthi Petronij Rom. S. P. A. M. Socius, Ord. Præd.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM

FABRITIVM

CARD. VERALLVM

PRAEFATIO.

DE prima Rosarum origine (Illustriss. Princeps) viri doctrinæ gloria, morumq. præstantia singulares non mediocriter dubitarunt; Quidam enim (inter quos Basilius, Ambrosius, Damascenus, Rupertus prima Christiani generis lumina recensentur) florem Rosarum ab omni spinarum horrore liberum, sine syluestribus dumis genitum initio crediderunt. cum enim tellus, nostrorum paren-

tum ſcelere violata primum fuit: ſpinas, ac tribulos non niſi vindictæ loco progerminans Roſam, hoc eſt ipſam pratorum venuſtatem, atq; lętitiam eductis continuo aquleis vulnerauit. Deinde verò cum Roſa inter cœteros flores facilè obtineat principatũ, minimè omnium illam decebat aſperitas dura ſpinarum: cum vel ipſe rex Apũ, quibus natura infixit aquuleum ſine mucrone, & cuſpide enaſcatur. Sanè quid amœnitati cum vepribus, quid fęlicitati cum ærumnis, amori cum iracundia, benignitati cum iniurijs, quid denique Roſæ cum ſpinis poterat eſſe commune? Verum libet mihi eorum Patrum ſequi ſententiam, qui Roſam cum ſpinis genitam, &

vt ita dicam, veluti Palladem armatam ſimul ac natam cenſuerũt. facit enim, vt ita ſentiam, ſacrarũ litterarum authoritas; in quibus ante culpæ mentionem Deus dicitur omnem herbam regionis produxiſſe, & die ſeptimo ab omni opere producẽdo ceſſaſſe. facit ratio naturalis, quæ docet ab Authore naturæ omnia maximè connaturali modo prouenire: facit & coniectura moralis; ſi enim amabilitas Principum nulla ſeueritate condiretur, nihil improbis non liceret. Neq; tamen negauerim Roſas arte quadam admirabili ſine ſpinis progigni poſſe, vt multi ſe vidiſſe teſtantur. Sanè hæc tua fœlicitas eſt (Illuſtriſs. Princeps) vt Roſam Verallam hoc eſt benigni-

 tatem

tatem summã innocuam planè, & sine vllo asperitatis aquuleo gratissimam omnibus semper exhibeas, mihi certè quicquid in hodierna disputatione amplitudinis accedit, & gloriæ Rosæ, humanitatis, inquam, tuæ suauissima fragrantia est: eam vt ego apud alios etiam propagarem, Rosam ipsam Veralliam de Cęlo ab Aurora tuę lucis, cuius radios in dies clariores experior, delatã, vndarumq. tuarum obsequio frigeratam effinxi, deinde in Zephiro, Iunone serena, ac Ioue Pluuio, quibus Rosa nascitur, ac seruatur, affabilitatem, maiestatem, ac beneficentiam tuam monumento Poetico hunc in modum dedicaui.

64

ZEPHYRVS CVM AVRIS,

ET MVRMVRILLIS,

SEV

DE AFFABILITATE PRINCIPIS


ODE I.

SVRGE ludibunde ſurge
Veris arbiter Fauoni:
Surge florulente ſurge
Orbis innocens colone.
Artifex amænitatum,
Pulcrioris auctor anni,
Architecte gratiarum:
Aura mitis, aura dulcis
Surge prouocata, ſurge.
Roſa te vocat Verallia,
Fœcunda gloriarum:
Regina gentis floreæ,
Et veris Imperatrix.
Vides vt altè prænitet
Virente nixa culmo?
Soliumq; de folijs ſibi
Erexit implicatis?

Aurum

Aurum coronat verticem,
Veſtem colorat oſtrum.
Ad corporis cuſtodiam
Spinæ excubant minaces
Hoc nobilem cultu Roſam
Regnare quis negabit?
Huc paſſus volucres age
Quo te ver geminum allicit:
Quà te floriferum manet
Floris pompa Verallij
Ades huc rapidis ocyor Euris
Iucundiſſime fratrum,
Flos animarum, florumq; anima,
Terræ vita comantis.
Iubar hortorum, cultor odorum
Rerum verna voluptas
Ore patenti, rore feraci
Florem ſparge beatum.
Quamquam leuior cede fauoni
Nobilioris flatibus auræ,
Quæ blanda fouet, quæ fauſta fauet,
Quæ larga venit, quæ læta volat
De magnanimæ vertice mentis,
De munificæ fulgure dextræ,
De clementi Principis ore

De radioſa luce Veralli
Dum tranquilla reciprocat
Murmura vocis,
Dulces aura Verallia
Commouet æſtus:
Felices placido ſerens
Pectore ſenſus.
Ergo Principis ſereno
Victus ore, victus aura,
Cede iam minor fauoni,
Floreiq; regna Veris
Præſidis Roſæ Veralli
Redde, ludibunde, redde.



IVNO SERENA
SEV
DE PRINCIPIS MAIESTATE
ODE II.

IAM fulgurantis recludit oris
Nymbum ſerena fœtum procella
Tranquillioris Matrona mundi.
Iam feriatum terrore Cœlum
Veſanientes defrænat ignes,
Deprælliantes compeſcit auras,
Iniurioſos componit æſtus,
Deponit aſtus, deponit iras.
Ab imperanti vultum ſequacem
Iunone fingit. ſic de colore
Regnantis, aulæ mores colorant.
Cernis beatæ de nube frontis,
Diſcriminato quæ fulget auro,
Exempla dulci vt furto reducit
Affuſa pubes, pennata pubes?
Quin, & fugacem lucis rapinam
Vitro coercet, cuius nitentem
Orbem vmbra plumbi ſubiecta opacat.
Exinde fulgor nigranti ab hoſte

Illu-

Illuſtriorem paſſus repulſam
Cœlum coruſca linquit ruina,
Terraſq; caſu luſtrans decoro
Illuſtrat orbèm. nam cuius ortus
Occaſus ille eſt. en vt Veralli
Clareſcit aſtro, pubeſcit oſtro
Naſcentis auſpex Aurora ſolis,
Primumq; eois ferre ab roſetis
Florem diei parcit, Roſamq;
De vere magni præfert Veralli.
Hic ille nempe eſt, cui par olympo.
Mentis poteſtas aſſurgit altæ:
Cui cordis almum floret ſerenum
Intaminato candore vitæ.
Tu Roma colles aſſueta ſeptem
Gratum Veralli nomen docere;
Tu ſæpe digno gratata ciui
Nil diſcolores æui prioris
A laude mores: tu fare, quanta
Seu corde regnet, ſeu voce gliſcat
Cultrix honorum, nutrix amorum
Patrona mundi, Regina rerum
Romana virtus, cui celſa mens eſt,
Cui pectus ingens, cui frons ſerena,
Cui Regium cor; Romanus hic eſt.

IVPPITER PLVVIVS

SEV

DE BENEFICENTIA PRINCIPIS

ODE III.


OELI poſtibus æreis
Quæ vis imperioſo
Noua iura dicit impetu?
Æterna mundi mœnia
Ruina quæ laceſſit?
Auricomæ penetrale lucis,
Obtutibus negatum,
En fractum patet. vltimos
Ergo tenet mora nulla caſus?
An credulis amabilis
Impoſuit error ſenſibus?
Interpres malefidus
Sortis ambiguæ eſt metus.
Non ætheri diſpendia,
Sed compendia terris
Ille tonantis fert fragor orbis.
Namq; ecce liberalibus
Iuppiter nymbis pluuius, liquentes

Theſauros

Theſauros amat abdere
Magnæ parentis in ſinum .
Beata tempeſtas, humum
Quę rorulento verbere
Non irritat, at irrigat,
Fœcundat, haud inundat;
Et dum percutit, excitat
Mille frondium virores,
Florum mille colores,
Feliciſſima nubium
Fertilis parens procellæ,
Quæ ſplendidè æſtuoſa
Imbres dum ſerit vberes,
Campos conſerit aridos:
Si tam frugifera ætheris
Triſtitia eſt: benigni
Qualis erit placida aura vultus?
Latè bonis exuberans
Large hæc fundere gaudet
Lucis patria. Lucidum
At inde qui genus trahit,
Proximus Cœlo, eximiuſq; terris,
Liberalis eſſe Princeps
Diſcit ne primus, an docet?
Quam diſſidentes excoluit plagas

Verralliæ felix Roſæ
Aura, è purpureo ſinu
Afflans odorum aſperginem
Tam latè generoſo
Tutata menti dextera
Munerum gratos iaculatur imbres.
Vt de rore Verrallio
Seges ingenij læta vireſcat,
Pullulet alto germine virtus:
Et vere alio floreat Orbis.

